DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUAEDAM DE
HYDRARGYRO
COMPLECTENS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS KELLY,

Hibernus,

COLLEG. REGII CHIRURG. LONDIN. SOCIUS,
ET IN CLASSE REGIA BRITANNICA
CHIRURGUS.

Laudatur ab his, culpatur ab illis.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT C. STEWART,
Academiae Typographus.

MDCCCXVIII.

MATHIAE FELIX, M. D.

DE BRISTOL,

HOC TENTAMEN,

AMICITIAE

ET

OBSERVANTIAE

TESTIMONIUM EXIGUUM,

DEDICAVIT

G. K.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

HYDRARGYRO

COMPLECTENS.

Hydrargyrus inter Antiquiores pro veneno habitus, primo Arabibus, qui in Alchemiae studio medicinales fossilium potestates detegere incipiebant, sub unguenti forma, in curatione morborum cutis, adhibitus est. Postea in aliis morbis, sed non frequenter, adhibebatur, donec in Syphilide ob cutis forsan affectiones usurpatus, hominum attentionem sibi vindicavit. At primam in hoc morbo usurpationem effectus ita diri saepe excipiebant, quod medici eo uti noluere ; et ea sedulò quaesivere, quae in locum ejus sufficere possent. Sed his, quorum numerus non par-

vus fuit, frustra, ut videtur, tentatis, ad hydrargyrum confugere iterum coacti sunt.

Experientia, tandem, errores in prima administratione monstrando, et Chemiae cultus, plures praeparationes variis cum corporis, tum morbi conditionibus adaptatas praebendo, usurpationem satis tutam, modo justa cura adhibeatur, reddidere. Exempla nihilominus effectuum ejus nocivorum imperitiâ, temeritate, vel habitu corporis peculiari excitatorum, hodie quidem non raro occurrunt; hi vero melius plerumque cogniti non exacerbantur, ita frequenter ac prius, usu medicaminis continuo.

At nunc morbus pertinax ferè nullus cognoscitur, in quo hydrargyrus non tentatus fuit; ad eum, sicut ultimum refugium, saepe confugitur, ubi morbi, praesertim si natura eorum minus cognita sit, aliis remediis superari non possunt: et praecipuum esse, vel solum remedium in plurimis morbis, qui Europaeos in plagis tropicis infestant, a multis medicis haud parvae auctoritatis aestimatur. Sed similis hydrargyri, in his nostris regionibus, usurpatio nequaquam defendi potest; nam necesse est spes adhibentium male positas saepe fallat, et sic medicamento famam malam comparet, haud secus ac

aliis remediis praestantibus nonnunquam ex eâdem causâ evenit. Etenim observatio Doctoris Johnson de fama studio literarum acqusita, auctoritati theoriis medicis, medicaminibusque, variis temporibus, tributae apte deferri potest: "Every name which kind-"ness or interest once raised too high, is in "danger lest the next age should, by the "vengeance of criticism, sink it in the same "proportion."

Asseritur plerisque quod hydrargyrus crudus in succis animalibus minimè solvendus vim nullam in corpora nostra exercet; et quod ad corpus afficiendum oportet in oxydum, vel in compositionem oxydi cum acido, vel metalli cum sulphure redigatur. Sed potestas unguenti, cujus de compositione inter chemicos non conventum est; et effectus, qui usum metalli crudi in colica interdum sequuntur, hanc sententiam minus firmam reddunt.

Inter medicamenta excitantia locum conspicuum tenet hydrargyrus, quippe qui ita administrari possit, ut secretiones omnes vel excretiones promoveat: et saepe vasa absorbentia imprimis stimulare videtur. Effectus diversi usurpationem ejus sequuntur, pro ratione habitus corporis aegrotantis, et rerum

externarum quibus expositus sit; et secundum praeparationis naturam, quantitatem, vel remedia quibuscum conjugatur. Secretio aucta salivae, effectus specialis aliis plerumque superadditur, si magnis dosibus, aut per longum tempus adhibeatur. Quando corpus universum impulsus ejus pervadit, febris oritur, fit sanguinis motus celerior, calor auctus, lingua exalbida, et sanguis, si missus fuerit, crustam coriaceam saepe ostendit; sensus ingratus, cupri sapori persimilis, in ore mane praesertim percipitur; gingivae dolent; fit foedi spiritus odoris; et defluit ore saliva. Si medicamen ultra urgeatur, vel corpus actioni ejus sit opportunius, gingivae, lingua, tonsillae, denique facies totumque caput tument, dum respiratio, facultasque devorandi, non paulò impediuntur.

His de actione generali hydrargyri praefatis, usus ejus in morbis proximè indagandus est.

Nil opus est hydrargyro in curatione febris intermittentis simplicis: sed quum morbus jecoris, vel lienis obstructionibus exacerbetur, etsi Cinchona officinalis, et caetera remedia solita frustra adhibita fuissent, hydrargyro obstructiones amoventi, citè plerumque cedit. In caeteris febrium generibus

praeparata ex hydrargyro, nisi ad alvum solvendam, rarò utilia, vel necessaria esse videntur. At quando caput versus sanguis vi magna propellitur, vel jecur imprimis impetum morbi sustinet; ubi ventriculus adeo irritabilis est, ut alia laxantia non retineat, vel alvus iis non ducitur, Sub-murias propter molem ejus parvam, dotesque eximias ad alvum ciendam, magnopere proficit.

Priusquam de singulis phlegmasiarum generibus agitur, haud alienum videtur notare, quod saepe inflammationibus lentis medetur hydrargyrus, parvis dosibus adhibitus, aut totum corpus excitando, aut mórbosum organorum concoctionis statum, quo interdum connectuntur, levando.

Sub-murias hydrargyri in Cynanche tracheali, infantes afficiente, multùm laudatur. Plurimum prodesse videtur, cum alvum solvat, quo faeces subvirides abunde dejiciuntur: profuit quoque, ubi ptyalismum induxerat. In dosibus infantis aetati congruentibus, intervallo unius, vel duarum horarum interposito, adhibitur; et quantitas penè incredibilis saepe prius ingeritur, quam effectus manifesti superveniunt. Quamvis fautoribus remedii agnoscatur, infantes aliquando, symptomatis morbi subactis, a debilitate me-

dicamento inducta interire visos esse ; tamen quando gradum morbi detractio sanguinis, vesicatoria, caeteraque remedia solita sistere nequeunt, Sub-muriatem adhibere convenit.

Compositio trium Sub-muriatis hydrargyri partium, cum una opii, in medelam Pneumoniae commendatur. In morbo ita gravi, huic solae fidere non decet ; quod si symptomata graviora perstent, et sanguinis missionem ceteraque exinanientia ultra urgere, periculosum, vel saltem ambiguum foret, quid haec possit, licet experiri.

Quantum valet hydrargyrus ad Hepatitidem, in regionibus et calidis, et temperatis, medendum, medicinam facientibus satis cognitum est. In primo speciei acutae gradu, multo dolore, febreque comitante, sanguinem generatim, et topicè, prius detrahere oportet, quam hydrargyrus adhibeatur. Sin autem morbo maturè non occurratur, si dolor obtusus evadat, et vis febrilis minor, statim adhiberi debet, ut suppuratio antevertatur. Hepatitis Chronica eodem remedio ut plurimum sanari potest. Notatu dignum est quod symptomata raro levantur, antequam os hydrargyro afficitur ; et morbus aliquando non solvitur, donec os plures hebdomadas tenerum servatum fuerit. Si, vero, aeger valde

debilis sit, si febris Hectica, et alia suppurationis internae signa adsint, eo perraro uti licet, ne irritationem lethalem excitet.

In Rheumatismo Chronico, Sub-murias hydrargyri cum opio junctus, eventu felici saepe usurpatur.

Purgantia, et inunctiones ex hydrargyro in Peste cum aliquo commodo adhibita sunt.

Phthisi confirmata, a tuberculis praesertim si orta fuerit, laborantes actioni hydrargyri subjicere, aeque inutile, vel perniciosum foret, ac alia remedia fortiora huc usque tentata. Sed symptomatis phthisis simillimis, quae organorum concoctionis, jecoris praesertim vitio connectebantur, cauta ejus usurpatio nonnunquam maxime profuit.

Cum munera jecoris fere semper in Dysenteria admodum turbentur, medici, cognita hydrargyri in illis compescendis utilitate, ad eum in hac usurpandum facile inducti fuerunt. Dysenteria regionum acerrima calidarum hydrargyro, praemissis sanguinis missione, laxantibusque, violentiae symptomatum accommodatis, succubuit. Dosis magna, scrupulum nimirum Sub-muriatis, plerumque intestina minùs, parva quantitate irritat. Opium singulis dosibus addere proficit. Morbus saevire vix desinit, donec os affectum

fuerit; et remissio tum alvi excretionibus naturalibus, multa bile commistis, indicatur. In Dysenteriâ Chronicâ praeparata ex hydrargyro mitiora, parvis dosibus, cum opio, et aliquando catharticis, conjuncta, plurimum prosunt.

In Apoplexia sanguinea, vel Paralysi, simili causa excitata, Sub-murias hydrargyri solus, vel adhuc melius, aliis catharticis conjunctus, ad alvum ducendam, quod semper expedit, utilissimus est. In specie Serosa hydrargyrus, internè et externè adhibitus, ad resorptionem latecis effusi promovendam, confert.

Quamvis hydrargyrus in Hydrocephalo acuto saepissime usurpatur, multum ex eo beneficii, in morbo ita frequenter lethali, expectare non licet. Ob vomitiones crebras, quae purgantia molis majoris in ventriculo vix sinunt retineri; ob intestinorum torporem, statumque materiarum, quas continent, non naturalem, Sub-murias tum solus, tum aliis purgantibus conjunctus, perquam utilis est ad alvum solvendam in omni morbi stadio. Corpus ita hydrargyro imbuere, ut os afficiatur, inter optima stadii secundi et tertii remedia jure numeratur. Ut alteruter

effectus cieatur, mira quantitate saepe opus est.

Fama nonnulla in curatione Tetani hydrargyro, praesertim in plagis calidis, tribuitur. Ibi maturè adhibitus aliquando fortasse prosit; sed in his nostris regionibus optimi chirurgi ei minime confidunt.

Etsi in dissectione eorum, quos interemit Colica postquam hydrargyrum fluidum affatim devoraverant, metallum in globos adeo minutos divisum repertum fuit, ut mole, vel pondere aggregato, agere plane nequiverat; quamvis non tantum inefficax saepe sit, sed, absorptus interdum, symptomata injucundissima inducat; tamen, ut nonnunquam in rebus fere desperatis obstructionem superare visus fuerit, et maxima ex parte, aut prorsus tutus sit, aut periculum augere nequit, si alia inefficacia reperiuntur, oportet hoc experiri.

Ut status humorum corporis hydrargyro inductus, illi in Diabete obtinenti omnino contrarius est, multum commodi ex usu ejus in hoc morbo haud inepte speretur; sed experientia huc usque spei non favit.

Quae de usu hydrargyri in Hydrophobia memorata sunt, auctâ non comprobantur experientiâ. Forsan morbo imminenti aliquando praevenire potuerit, sed hoc quidem mi-

nimè certum est: cum vero nulla remedia fide digna adhuc reperta sint, id, aeque ac quodvis alium, tentari meretur.

Quum aucta exspiratio, aut resorptio minuta, quae hydropem excitant, ab obstructione vel debilitate pendere videntur, remedium magis idoneum ad morbum, causasque ejus debellandum, nullum videtur quam hydrargyrus, qui simul facultate corpus universum stimulandi, obstructiones discutiendi, et evacuationes ciendi, pollet. Diureticis, scillae maritimae praesertim, aut digitali purpureae, plerumque conjungitur; sed haec separatim adhibere, hydrargyrum nempè priùs ad os leviter afficiendum, dein diuretica, melius saepe responderet. Nam non diuretica solum, sed sudorem moventia, et alia evacuantia, quae in hydrope usurpantur, quanquam prius incassùm tentata, corpore hydrargyro imbuto, efficaciter adhibentur. Plus in hydrope ex obstructione jecoris vel lienis orto prodest, quam in illo qui causam generalem agnoscit. Doctor Blackall, qui hydropem saepe cum inflammatione connecti clare demonstravit, hydrargyri usurpationem, ubi morbus hac causa oritur, improbat; sed nihil ad hanc sententiam firmandam ab aliis medicis adhuc prolatum est. Quod,

" hydrops non tam ipse morbus est, quam morbi alicujus signum," in omni remedio adhibendo memoriâ est dignissimum.

De hydrargyri in Scrofula effectibus omnino diversa narrantur. Quae male evenêre, remedii usui imprudenti saepe sunt tribuenda. Praeparationes ex hydrargyro, ita adhibitae ut alvum leniter solverent, vel dosibus minoribus, quae, organa concoctionis mitè excitando, sine oris affectu, corpus universum stimulant, ad inflammationes lentas resolvendas, et tumores discutiendos, maxime conferunt. Si, verò, tali quantitate adhibeantur, ut Ptyalismum, aut alvi profluvium cieant, debilitate inde supervenienti omnia symptomata exasperantur, novaque, haud facile medenda, saepe oriuntur. Nam nemo, quam strumosus, plus imprudenti hydrargyri usurpatione laeditur.

Utilitas hydrargyri in curatione Syphilidis trecentorum plus annorum experientiâ comprobatur. Sententiae tamen valde diversae de conditionibus, quae remedium poscant, deque limitibus, quos intra retineri debet, inter medicinam facientes omni tempore receptae sunt. In brevi animadversione, quam argumento ita implicito tribuere pos-

sum, quae meliora videntur, summa cum diffidentia seligere conabor,

Priusquam Syphilidi hydrargyro mederi tentatur, scire oportet, quod ipsum remedium, pro curatione Syphilidis adhibitum, aliquando symptomata ejus simillima inducat, vel indolem symptomatum primariorum mutet, et quod utraque plurimùm exacerbentur usu medicamenti continuato. Itaque, dum adhibitur, magni interest distinguere, qui morbi effectus sint, quive remedii. Sed hoc non semper facile fieri posse, confitendum est; licet enim Syphilidis symptomata accuratè descripta sint, tamen alia specie persimilia, in iisdem partibus, a causis diversis non raró gignuntur. Res cum ita sint, historia morbi, effectuumque remediorum, quae usurpata fuissent, solùm distinctionem indigitare potest.

Inter hydrargyrum adhibendum ad progressum symptomatum summâ curâ incumbere oportet. Quoad ad melius tendunt, prodest remedium, et in usurpatione ejus perstare decebit, donec aeger omnino sanus evaserit. Ut hoc efficiatur, corpus sub medicamenti impulsu tempore, post amota symptomata, eorum pertinaciae, et morbi gradui respondente teneri debet. Quum au-

tem ulcera Syphilitica speciem irritabilem male sanam induant, aut nova symptomatum series, corpore hydrargyro plenè imbuto, appareat; medicamentum intermittere oportet, et ad salutem aegri generalem intueri. Anodyna, balneum calidum, decocta Smilacis Sarsaparillae, &c. mitè laxantia si opus sit, et mutatio coeli, ad hos effectus inoptatos debellandos admodum conferunt. Cum hac medendi ratione, aut quavis alia aegri constitutioni accommodata, hydrargyri effectus noxii cedunt; si ulcera conglutinent, et cetera symptomata evanescant, remedium ultra urgere raró necesse est. Quod si ulcera irritabilia, quae, intermisso aliquamdíu hydrargyro, sanescebant, aut gradum sisterent, aut in pejus ruerent, venenum Syphiliticum, interea sopitum tantùm, iterum saevire suspicandum est; ad hydrargyrum tunc denuo confugere, et ad sanationem usque urgere decet.

Ulcera Syphilitica interdum magna inflammatio, gangraenam aliquando minans, comitatur; hanc modis idoneis ante compescere oportet, quam hydrargyrus eam aucturus adhibitur. Observatum est quod hujusmodi ulcera, subacta gangraena, quae, fortasse partes inquinatas consumendo, corpus

veneno Syphilitico vitiari vetet, non semper hydrargyri usum poscunt.

Ulceribus primariis curationes lenes plerumque sunt admovendae, ut quam minimè irritentur: Sic symptomatis hydrargyro in corpus recepto solùm cedentibus, quantum ad sanationem perfectam progreditur, ex progressu eorum cognoscere licet.

Quando infecti, intra limites ad tutam hydrargyri usurpationem necessarios, se retinere non possunt, melius esse morbum cursui proprio relinquere videtur, quam per usum remedii inefficacem gradum ejus cohibere conari.

Conspectus cursus Syphilidis naturalis, effectusque hydrargyri in curationem ejus usurpati, illi diu et passim recepto prorsus contrarius, nuper iterum adoptatus est; et quaedam de eo relationes promulgantur. Capita praecipua sunt, quod Syphilis sua sponte, vel saltem sine hydrargyro, sanabilis est; et quod hoc fossile multorum symptomatum, quae morbo tribuebantur, causa fuit. Affirmatum est quod, ubi symptomata primaria, secundum haec principia, summa quiete, regimineque antiphlogistico tractantur; et secundaria decocto Smilacis Sarsaparillae, acido nitrico, aliisque remediis, quae morbi

vel temperiei natura, nullâ Syphilidis ratione habitâ, suggesserit, curatio tam perfecta, et plerumque tam cita est, quam ubi hydrargyrus felicissime usurpatur: praeterea quod in nullo casu, hoc modo tractato, aut nodi, aut caries, valde frequentes cum hydrargyrus diu adhibitus fuerit, evenere. Hydrargyrus, nihilominus, moderatè et sagaciter usurpatus curationem, quorundam praesertim symptomatum secundariorum, saepe expedisse videtur.

Si ad veritatem hujus doctrinae investigandum, casus numerosos a medicis omni tempore relatos perscrutari libet, conatus certe arduus, et difficultatibus implicitus foret. Universalis hydrargyri usus, postquam ille medendi modus semel stabilitus erat, quod necessarius sit, nullo modo arguit; ut naturae fere nunquam permittatur vires suas exercere. At concedatur, curationem naturae creditam fuisse, si sanatio secuta fuisset, morbus, qualia aut species ejus, aut symptomata comitantia fuissent, pro nihilo perpensis, non Syphilis fuisse existimatur.

Porro, ut per cautam hydrargyri usurpationem noxiis ipsius effectibus nonnunquam medeatur, hoc casibus, in quibus longe, et eventu denique felici usurpatus fuit, objici

potest. Illis contrà quibus decoctum lignorum, &c. mederi, praesertim post hydrargyrum frustra adhibitum, dicta sunt, quod eadem ad nocivos hydrargyri ipsius effectus medendos optima remedia sunt, etiam plus obstet. Ex eventu tunc modi curandi ad hunc finem instituti, et cum patientia candoreque conducti, judicium stabile solùm potest deduci. Experimenta nuper facta novae doctrinae favent, sed tempus haud breve praeterire necesse est, antequam omnino stabiliri, vel rejici potest.

Quando Icterus inflammatione jecoris Chronica, aut tumoribus ductus fellis comprimentibus originem ducit, hydrargyri usurpatione continuata interdum tollatur. Submurias alvum ducendo semper utilis est.

Hydrargyrus saepe in Amaurosi adhibitur ; sed conditiones, quibus proficit, raro delinentur, etsi morbus varias causas agnoscat. Murias corrosivus commendatur ubi pupilla contracta est, quod inflammatione oculi interni fieri aestimatur ; verisimile videtur, ut praeparata, quae ventriculum et intestina praecipue afficiunt, casibus prosint, qui eorum vitio oriantur.

Cum torpor universalis, et status organorum concoctionis vitiatus Amennorrheam co-

mitantur, ex parvis dosibus Sub-muriatis, cum Catharticis conjuncti, insigne commodum saepe obtineatur.

Cancer verus hydrargyro plerumque exacerbatur; sed affectiones ei similes usurpatione moderata saepe sanantur. Plurimis cutis morbis hydrargyro internè et externè, sub variis formis adhibito medetur, et ulcera lenta, crurum praesertim, eidem aliquando cedunt.

Sub-murias contra vermes in intestinis hospitantes apprime valet. Beneficium vi cathartica pendere videtur. Ut vero praeparationes hydrargyri insectis superficiem corporis, aliòve habitantibus, lethales sint, idem quoque virus forsitan et in vermes intestinorum exerceant. Morbi vermibus excitati, Epilepsia nimirum et quidam alii, causâ per Sub-muriatem amotâ, levantur.

In paginis supra scriptis quasdam morborum conditiones, quibus hydrargyrus prosit, paucas quoque, quibus noceret, breviter colligere conatus sum. Restat nunc ingratus labor mala, quae efficit, referendi; et cum exitia, quae hic infeliciter vel imperite usurpatus attulit, scrutemur, series tam longa, tamque dira apparet, ut aestimatio beneficiorum, quibus genus humanum afficit, mag-

nopere minuatur. Praetermissis effectibus citò lethalibus, quos Murias Corrosivus in dose inordinata inducit, quippe qui ad medicinam forensem potius pertinent, eos tantùm notare conabor, qui hydrargyrum pro remedio adhibitum sequuntur.

Ut actio hydrargyri specialis ad os praecipue dirigitur, si violenta sit, hoc maxime plerumque plectitur. Ulceratio, vel gangraena superficiei oris internae; amissio dentium, vel partis ossium, quae cavum ejus formant, et ptyalismus debilitans diuque perseverans, primi sunt saepe effectus. Usurpatio inconsulta aut diu continuata nonnunquam inducit Erethismum Mercurialem, tremores, vertiginem, paralysin, tetanon, vel maniam; dyspepsiam, diarrhoeam, et dysenteriam; proclivitatem ad haemorrhagias, et ad inflammationem in corpore generatim, ad gangraenam in ulceribus; omnes hydropis formas; varia cutis vitia; denique in ossibus juncturis, &c. dolores acutos, nodos, et cariem. Plura horum, vel pauciora, fere omnes post usum hujus medicaminis continuatum patiuntur; hinc in exhibitione remedii tantis viribus praediti, ipsum medicum summa cautione uti, et rationem vivendi prudentem illis, quos ei subjicit, solicite commendare de-

cet. Nam morbi ad quos corpus proclive sit, qui vero, aliis conditionibus, plures annos, forsan omnino laterent, hydrargyri intempestiva vel imprudenti usurpatione saepenumero concitantur. Auctus sanguinis impetus, quem primo excitat, causa potentissima est morbos inflammationem habentes ciendi; dum debilitas fractaeque eorum vires, qui hoc per longum tempus infeliciter usi sunt, corpus morbis lentis obnoxium reddunt.

Ut valetudinibus medeatur quae ex hydrargyro, dum adhibitur, oriuntur, medicamentum, aliquo saltem tempore, intermittere oportet. Vestes, quibus induebatur, aeger penitus exuere debet; unguentum, si quod supersit, cute abluere, et conclave, quo huc usque habitaverat, relinquere, praesertim si in Nosocomio, unà cum aliis hydrargyro utentibus, commoraretur.

Si os multum laboret cum Ptyalismo, inflammatione et tumore faucium, linguae, &c. prosunt cathartica, gargarismata astringentia, et vesicatoria faucibus externis admota. Missio sanguinis, si aeger fortior, et plethoricus sit, si debilior, hirudines faucibus applicatae, spiritui his causis laboranti utilissimae sunt. Sulphur, camphora, &c. olim multum jactata, Ptyalismo urgenti minime prosunt; re-

spiratio aëris sicci frigiduli, corpore vestibus bene obvoluto, quod celebri Pearson commendatur, sola fortasse ratio est, qua certe reprimatur. Ceterum hanc methodum periculo Ptyalismum subito reprimendi non omnino carere, a plurimis medicis suspicari, ex minus frequenti ejus usu videtur; itaque nisi pejora minentur, ea uti vix decet. Ptyalismum autem nimis repente suppressum, quod frigore, praesertim cum humiditate, plerumque efficitur, vomitiones iteratae, dolores maxime acuti, et convulsiones aliquando excipiunt. Balneo calido, et corpus suffimentis ex hydrargyro subjiciendo, Sub-muriatem gingivis perfricando, vel quivis modo, quo Ptyalismus cito revocetur, his affectionibus medetur. Instanti gingivarum, &c. gangraenae, pro natura symptomatum medendum est; si ex summa inflammatione, ut saepius contingit, evacuantibus, et regimine antiphlogistico; sin contra ex debilitate, stimulantibus, vino, cinchona, &c.

Si Diarrhoea excitatur, verso in intestina hydrargyri impetu, opus est opio et astringentibus: si symptomata dysenteriae, sicut tormina et tenesmus cum minore faecum excretione, catharticis intestina prius expurgare

oportet, quam medicamenta jam recensita adhibeantur.

Quod symptomata Erethismi mercurialis, modumque medendi attinet, melius videtur ad opus celeb. Pearson relegare, quam verbi ejus hic inserere.

Tremores, dolores nocturni, nodi, caries, &c. poscunt coelum purum, exercitationem modicam, decocta Smilacis Sarsaparillae, Guaiaci officinalis, &c. balneum marinum calidum, vel frigidum quando vires ita reficiuntur, ut actio tonica sequatur. Eadem, additis interdum antimonii praeparationibus, plurimis cutis affectibus conveniunt.

In caeteris morbis hydrargyro excitatis, inflammatio topica debilitati generali saepe conjungitur; hinc, cum, praeter alia remedia singulis convenientia, sanguinis detractione opus sit, praestat plerumque eum loco parti laboranti vicino, quam ex brachio detrahere.

Cum effectus infelices hydrargyri multò facilius praecaveri quam sanari possint, haud alienum erit modum, quo tutius adhibeatur, breviter describere.

Hydrargyrum per inunctionem adhibere, si commode fieri potest, fere semper optabile est. Hoc modo totum corpus aeque af-

ficitur, nec accipiunt organa concoctionis ea detrimenta, quae usurpatione interna saepe inducuntur. Mane oblinere praestat, nam vasa resorbentia suis muneribus tunc vi majore funguntur. At corpus quandoque inunctione non potest infici, et, remedium interne adhibeatur, necesse est. Praeparationes mitiores tunc anteferendae sunt, utpote tutiores et saepissime efficaciores. Hae vero votis non perpetuò respondent, et fortiores aliquando, his frustra tentatis, feliciter usurpantur; quinetiam aliquid commodi ex sola praeparati mutatione saepe evenit. Quando os dolere incipit, doses minores, vel quod melius sit, easdem, longiore intervallo, adhibere expedit.

Interdum os nequaquam afficitur, licet multum hydrargyri adhibitum fuerit; nihilominus actio ejus a venis concitatis, dolore capitis, totiusque corporis marcore detegatur. Gargarisma ex solutione Sulphureti Potassae superficiem oris internam, faucesque nigras reddere dicitur, si corpus hydrargyro inficitur. Scire juvat quod hydrargyrus affatim sumptus, per longum tempus nullam actionem aliquando praebet; denique tamen effectus violentes subitò apparent, cum summo aegri periculo.

Inter hydrargyri usurpationem frigus et humiditas summâ curâ vitari debent. Hieme aegrotum aedibus egredi non decet. In conclave spatioso aprico, cujus temperies sit circiter gradum 62° habitare debet. Aestate vero non necesse est, ut sese intra aedes semper retineat. Quod si talis sit aegro corporis conditio, qualis limitationes in hieme necessarias tutè sustinere non potest, usum hydrargyri in aestatem producere oportet, si hoc morbi status permittat; vel si ei facultas sit, ad regionem calidiorem eundum est. Cibus ex carne recenti cum quantitate frugum idonea, Spiritu-destillato salsamentisque omnibus intermissis, constare debet: sed, si valde debilis aeger sit, paulum vini proficit. Oportet intestina functiones suas ritè absolvant, et cathartica subinde commode adhibentur, ubi aeger fortis et plethoricus est. Corpus caputque calidè vestiri debent; et frequens balnei calidi usus admodum proficit, praesertim quum os quam minime affici optetur.

Frequenti purgantium, et diaphoreticoum usurpatione, postquam hydrargyrus adnibitus fuit, raró opus est. Victus nutriens, tonica, balneum calidum, vel frigidum si vires sinant, in illa conditione debili, quae

usum hydrargyri continuatum sequitur, multùm magis prosunt.

Quod hydrargyrus vires, ad morbos medendos, vel producendos, haud spernandas possidet; et rarissime sine beneficio aut injuria usurpatur, jam facile fatebitur. Ceterum nonnulli medicinam facientes eum in curatione morborum, qui sine eo, ut videtur, aeque cito saltem sanescerent, summis laudibus efferunt; dum alii, praejudicio diverso obcoecati, quantitati nullius pene momenti effectus, quos morbi sponte evolvunt, saepe attribuunt. Inter haec, ut plurimum contingit, veritati medio cursu plus appropinquatur; et omni in laudem ejus non temere admisso, ei saepissime Celsi observatio trita referri potest, "nec posse vehementi morbo nisi aeque vehementi remedio succurrere."

FINIS.

Edinburgi:
Excudebat C. Stewart.